

*N.* 13.





15  
IO. AVGVSTI NOESSLT

INTERPRETATIO, GRAMMATICA

LOCI PAVLLINI AD EBR. VIII, 14.

VEL CHRISTVS DICITVR SE DEO

ΔΙΑ ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ ΑΙΩΝΙΟΥ

OBTVLISSE.

---

PROLVSI O

NOMINE

ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS

IN

SOLEMNITATE PASCHALI

PROPOSITA.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS HENDELIANIS.

24









Nobilissimus est ac de redemptione hominum per Christum facile princeps locus Paulli in epistola ad Ebraeos (VIII, 13. 14): *Si sanguis taurorum & hircorum atque cinis iuuencae adspargens pollutos, lustrat ad corporis puritatem: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum aeternum se ipse innocentem obtulit Deo, purum reddet animum ab improbe factis, ut colamus Deum immortalem!* Qua comparatione ut nihil aptius dici potest ad naturam & finem mortis IESU CHRISTI, qua nos Deo placauit, explicandum, ita subobscura sunt illa: *διὰ πνεύματος αἰωνίου*, quasi quis dixerit: *per spiritum aeternum*. Atque haud scimus an quam plurimis eorum, qui, non quouis obuiio neque per se inepto sensu contenti, omnia subtiliter & ad consuetudinis loquendi normam exigunt, idem accidat ac nobis incidentibus in illum locum, ut in omni horum verborum declaratione quam interpretes tentarunt, nescio quid luminis aut characteris Paullinae orationis desiderent. Certe, quamcunque interpretationem sequaris, quo modo illa sententia e superioribus neclatur, sitque consilio Paulli consentiens? aut quid sit causae cur sententiam valde apertam Apostolus ita obscure expresserit, valde, quod doceri possit, dubitamus. Quare speramus nos gratum facturos Paullinorum scriptorum studiosis, quod breuiter declarem, quid nobis, de istorum verbum obscuritate saepe cogitantibus, conferentibusque aliorum locorum similitudinem, tandem in mentem venerit. Quam disputationem instituemus ita, ut vnum Paullum tenentes, veluti eius ipsius auctoritate nostrorum verborum sententiam doceamus; qua via ubi repertus est sensus, reliquum erit tentare;



quo modo is conciliari cum vsu loquendi Paullique consilio & sapientia possit.

Omnino, etsi in omni interpretatione hanc primam legem oportet seruari, vt, quid postulet vsus loquendi regnans in ea, qua scriptor vsus est, lingua, requiratur, nec admittatur quisquam, quamuis probabilis, sensus, quin cum illa consuetudine loquendi consenserit: est tamen cuique fere scriptori suus quasi dicendi modus, atque optimus quisque scriptor saepenumero, praesertim quando sunt noua, omninoque multa paucis declaranda, vel confugere ad noua verba, vel trita vsu ad nouas sententias transferre cogitur. Cuius generis in scriptis Noui Testamenti, in primis que Paulli quam plurima reperiri, nemo negare sine impudentia potest. Enimuero cum de huiusmodi verborum proprietate quaeritur, perspicuum est, nullam aliam ad reperiendum viam dari, quam declarationem eam, qua ipse ille scriptor siue in dato aliquo loco siue in simili vsus est. Quamquam, vt petulantia cohibeatur eorum, qui, quotiescunque oblata fuerit sententia tolerabilis nec a contextu verborum perspicue abhorrens, statim hanc verum sensum esse pro libidine fingunt; cumque non sit credibile, bonum scriptorem etiam in nouis siue verbis siue significationibus vsurpandis ita deflexisse a consuetudine loquendi, vt, quo modo verba sibi propria ab illa consuetudine duxerit, intelligi nullo modo possit: semper ab interprete demonstrari oportet, qua ratione huius modi noua possint cum vsu loquendi conciliari. Quod nisi praesiterit, nec probabilem sensum persuasuerit intelligentibus nec arrogantiae suspicionem effugerit.

Iam ne in simile incurramus vitium, principio adhibeamus Paulli ipsius auctoritatem atque ex eius aliis iisque perspicuis locis necessariam materiam ad obscuritatis loci nostri depulsionem afferamus. Idcirco haec fere tabula exhibeat illa similia, vt de eorum cum loco nostro similitudine veluti sub vno adpectu posita, atque sensu verborum declarandorum, facilius iudicare lectores possint.



Ebr. VIII, 14.

Διὰ πνεύματος  
αἰώνιος (ὁ Χριστός)  
ἐαυτὸν προσήνεγκε  
τῷ Θεῷ.

v. 26. & 24.

Διὰ τῆς θυσίας  
αὐτῆ (ὁ Χριστός)  
πεφανερωταί τῷ  
προσώπῳ τῷ Θεῷ.

v. 12.

Διὰ τῆ ἰδίας αἱμα-  
τος ἐισήλθεν (ὁ  
Χριστός) εἰς τὰ ἁ-  
γία, αἰώνιον λυ-  
τῶσιν εὐρέμενος.

c. XIII, 20.

Ἐναίματι διαδή-  
κῃς αἰώνιος Ἰησὺς  
ὁ ποιῶν τῶν προ-  
βάτων ὁ μέγας  
γένονε.

His e locis arbitror planissime intelligi: πνεῦμα esse *victimam*, quam Christus, se immolando, Deo obtulit, eamque *αἰώνιον* dici propter ea quod istius victimae virtus ad homines saluandos perpetua atque *perennis* futura sit. Namque in loco Ebr. VIII, 26. perspicue de victima Christi pro hominibus Deo oblata explicatur, quae, vt e reliquis locis apertum est, fuit in sanguinis Christi profusione. Nec vterque postremus locus finit dubitare: *sempiternam* hanc victimam appellari propter *aeternam* liberationem s. *expiationem* (*αἰώνιον λύτρωσιν*), atque sanctionem foederis sine fine futuri (*διαδήκῃς αἰώνιος*); quem ad modum etiam ipse Christus apud Ioannem (Cap. X, 11. & 15) se ait esse τὸν ποιμένα τὸν καλόν, ὃς τὴν ψυχὴν αὐτῆ τήσιν ὑπὲρ τῶν προβάτων, plane vt eum Paullus Ebr. XIII. propter sanguinis sui profusionem *magnum ouium pastorem* dixerat. Sed quo modo Paullus talem victimam potuerit πνεῦμα αἰώνιον dicere ad vsum loquendi accommodare, id necesse est a nobis copiosius declarari.

Ac primum τὸ πνεῦμα, quod vocabulum Paullus in primis sensu plane singulari frequentat atque transfert ad res bene multas, quae noue dicendae erant, illud igitur vocabulum respondens Ebraico פִּיךְ, cui tribuebant Ebraei notionem *perfectionis*, *excellenciae*, *roboris* eiusdemque generis aliorum, Paullus eodem Ebraico sensu adhibet; de qua re interpretes iam admonuerat ERNESTIVS, V. V. (*Opusc. Philolog. & Critic.* p. 247.) qui ad persuadendum bene adhibebat locum Esai. LXI, 3: *Aegyptii homines, non Deus, equi eorum caro & non spiritus*; qua obseruatione vitur ad plura loca Paulli illustranda, in quibus Euangelium πνεῦμα, lex σαρκῶς, prouectiores πνευματικοί, imbecilli σαρκικοί appellantur. Nec dubitamus fore, vt interpretes, si istud praeceptum securi fue-



fuerint, facilius, quam fit plerumque, se e difficultatibus expediant, quibus implicatas vident sententias, in quibus alterutrum vocabulum varia significatione Paulli consuetudo vsurpauit. At, vt fit, erunt qui dicant: probabiliter id quidem dici, sed non esse consequens: si Ebraei hoc sensu בשר vel רוח adhibuerint, atque etiam ex eo possint Paulli sententiae, quae alterutrum vocabulum continent, intelligi, Paullum vere eo sensu vsu esse utroque vocabulo, praesertim in loco atque oratione ea, quam tractamus. Quibus possemus respondere: hominis valde difficilis esse, si, quae a scriptore verba noue adhibita fuerunt, vbicunque locorum possunt ex vsu loquendi linguae alicui proprio intelligi, tamen illud nouum loquendi genus ex isto vsu ductum negare, praesertim si, vnde magis ductum sit, demonstrare non possis. Verumtamen & his satis faciemus ita, vt perspicua adponamus ac veluti classica loca e libris Paullinis, & vero etiam ex ipsa illa disputatione, cuius partem illustramus, in quibus ipse Paullus vtrumque verbum clarissime in hanc sententiam interpretatur.

Atque hic dignum est quod obseruetur: in omnibus locis epistolarum Paulli, vbi singularem ac sibi propriam significationem his verbis adiungit, eum vel de praestantia earum rerum loqui quas nomine τὰ πνεύματος, vel de imbecillitate siue exilitate earum, quas nomine τῆς σαρκὸς appellat. Qua in re aliqua veluti inductione vteremur, nisi circumscribemur huius disputatiunculae angustiis; itaque adhibeamus sponte se nobis nunc offerentia exempla. Ad Romanos cap. VII, 5: ἡμεν ἐν τῇ σαρκὶ est: *eramus sub lege*, nam versu 6. statim adiicitur: οὗτοι δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τῆ νόμου. Ibi cur legem Moisaicam τὴν σαρκὶ dixerit, satis ipse Paulus declarat dum dicit: *dum eramus sub lege, cupiditates vitiosae per legem commotae, exserebant se in partibus naturae nostrae, quare mortem tanquam fructum ferebamus!* Videtis legis imbecillitatem! quam cap. VIII, 1 seqq. ita demonstrat Paullus, vt coniungat *carnem & spiritum*, huic vitam, illi peccatum & mortem tribuat. Porro quos 1 Cor. III, 1, σαρκινὰς appellat, iis ait opus esse



esse lacte (v. 2.) h. e. elementari ac puerili institutione, eosque *carnales* dicit propter ea quod inter istos odium, contentio atque dissidia regnabant (v. 3.); quem ad modum ibi *spirituales* sunt qui vii solidiore cibo possint. Tum ii, quos Israelitas s. fratres suos κατὰ σάρκα 1 Cor. X, 18 & alibi appellat, quinam aut cur ita dicti sint, perspicue docet locus Rom. II, 29, quem non repetemus. Qui tamen nos admonet quodam modo de causa cur ibi, atque etiam 2 Cor. III. Euangelio τὸ πνεύματος nomen indiderit, nempe, ut est in postremo loco vers. 6, quoniam *lex scripta mortem minatur*, sed πνεῦμα h. e. *Euangelium spem dat salutis*, qua in excellentia Euangelii declaranda totus est in vniuersa illa sectione epistolae alterius ad Corinthios.

Vultisne maius lumen exemplorum? Sunt etiam alia, in quibus Paulus perspicue & diserte vim horum vocabulorum a se constitutam interpretatur. Namque 2 Cor. X, 4. *arma*, inquit, *quibus pugnamus, non sunt σαρκικά, ἀλλὰ δυνατὰ τοῦ Θεοῦ* h. e. sed quae vim habeant diuinam; vbi per ipsam disiunctionis legem intelligitur: σαρκικά esse ἢ δυνατὰ, *infirma*. Ad Galatas c. VI, 1 sq. iubet *spirituales* mederi iis, qui fuerint in aliquo delicto deprehensi, nec nimis suae virtuti tribuere, sed aliorum molestias ferre. Enimvero id ipsum paene iisdem verbis ad Rom. XV, 1 sq. iniungit *validis* (τοῖς δυνατοῖς), ut dubitari non possit: *spirituales* dici, qui *validi* sint. Denique Ebr. VII, 16. legem Mosaicam appellat νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς; qua de causa? *propter infirmitatem*, inquit v. 18 & 19, *et inutilitatem, nihil enim perfectionis tribuit nobis* (ἔδεν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος) h. e. etiam diligenter obseruemus decreta legis ritualis, tamen vniuersa illa vi caerimnarium nullo modo expiamur.

Veniamus ad ipsam disputationem Pauli, e qua multo etiam magis emerget id quod volebamus, πνεῦμα hic dictum esse de victima Iesu Christi quatenus ea erat omnibus quasi numeris absoluta. Etenim tota illa series epistolae inde a capite VIII. versatur in comparanda praestantia Iesu Christi atque religionis eius, quam  
ille



ille constituit, cum sacerdotii cultusque Leuitici vanitate; in qua  
 dona & sacrificia ab illa lege praescripta negat (cap. VIII, 9.) ha-  
 ctenus offerenti prodesse, vt animum eius expient. Ita enim in-  
 telligimus illa verba: *μη δυνάμεναι κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν  
 λατρεύοντα*. Recte quidem. Namque cap. X, vbi v. i. de lege  
 dictum fuerat: eam non posse *τὰς προσερχομένας τελειῶσαι*, statim  
 versu 2. id ira declaratur: *τὰς λατρεύοντας ἔχειν ἐπι συνείδησιν ἁμαρ-  
 τῶν*, (qui sequantur cultum Leuiticum adhuc reos peccatorum  
 teneri) *ἐκ εἶναι κεκαθαμένους*, (non expiatos esse). Hac perfe-  
 ctione s. virtute (*τελειώτητι*), vacua erat lex ritualis cum omnibus  
 victimis suis, propter eaque omnia ista instituta *σαρκικὰ* h. e. imper-  
 fecta erant. Contra Christus sarcians id quod istis victimis deerat,  
 sanguine suo ingressus sanctissimum locum i. e. coelum, sempiter-  
 nam comparauit redemptionem (cap. VIII, 12); praestitit igitur  
 haec sanguinis Christi profusio quae ille sanguis animalium non  
 poterat, atque hactenus erat *τελεία θυσία* s. *πνευματικὴ*, perfe-  
 cta. Pergit Paullus v. 13: sanguis taurorum & hircorum expiat  
 ille quidem (*ἀμάξει*), sed ita vt nihil, praeter externam, aut, si  
 mauis, imperfectam quandam lustrationem obtineatur (*πρὸς τὴν  
 τῆς σαρκὸς καθαρότητα*). Sed sanguis Christi (v. 14.), qui se per-  
 fectum, omnis vitii expertem, (*ἄμωμον*) obtulit Deo, *καθαρί-  
 ζει τὴν συνείδησιν ὑμῶν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων*. ita nos lustrat, vt non rei  
 simus male factorum. Nam *νεκρὰ ἔργα*, *male facta* sunt profecto,  
 quia mortem nobis consciscunt atque interitum, siue, vt alibi dicit  
 Paullus Rom. VI, 21, ad mortem peccatoris tendunt; quare iis-  
 dem paene verbis Ebr. X, 22. dicimur expiati per mortem Christi ita  
 vt nullorum male factorum culpam sustineamus, (*ἐξέραντισμένοι ἀπὸ  
 συνειδήσεως πονηρᾶς*). Hac de causa v. 15. Paullus mortem Christi fa-  
 ctam dicit *εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν παραβάσεων*, & v. 23. victimam Chri-  
 sti esse *κρείττονα θυσίαν*, praestantiorem victimam, qua sublata sint  
 peccata nostra, v. 26. 28. Quis non videt quantis laudibus Aposto-  
 lus excellentiam sacrificii Iesu Christi prosequatur? aut quis, post  
 tam perspicuam Paulli declarationem in vniuerso hoc loco dubitare  
 po-



potest, quidquam toti eius orationi magis consentaneum esse notio-  
ne perfectae omnesque numeros habentis victimae Christi, quam  
πνεύματι αιώνασ offerimus?

Quae cum ita sint, facile suspicio nimiae obscuritatis ab hoc  
Paullino vocabulo depellitur, intelligiturque quid fuerit causae,  
quod Paullus sacrificium Christi maluerit πνεύματος quam alio ma-  
gis perspicuo nomine appellari. Amat in primis Paullus noster  
eam orationis elegantiam, quae est in verbis non modo rem ex-  
primentibus sed etiam rei modum; e quo genere multa sunt eius in  
epistolis exempla, quae ab imperitis obscura, ab intelligentibus  
elegantissima iudicantur. Vt in loco ad Phil. I, 7. χάρις f. beneficium  
illud, in cuius societatem Philippenses venerant, non est in alia re,  
(id quod inter veteres *Chrysostramus*, *Theodoretus* aliique, in ceteris  
*Beza* atque *Grotius* viderunt,) quam in aduersitatibus Paulli, quas  
is Dei beneficio tribuit v. 19 & 20; quod facile est ad perspicien-  
dum ei qui versum 29 & cap. IV, v. 14. contulerit. Ita pariter in  
loco nostro sacrificium Christi Paullus potuisset simpliciter *δουσαν*  
dicere, vt in locis similibus quos supra commemorauimus; sed  
vt excellentiam illius simul exprimeret, maluit rem eiusque prae-  
stantiam in vnum πνεύματος vocabulum coniungere.

Sed oportet rationem reddere alterius quod quaerebatur: cur  
Paullus hanc Iesu Christi victimam αιώνασ dixerit? ita enim haud  
dubie legendum: πνεύματος αιώνασ cum plerisque siue codicibus,  
siue versionibus, non: άγις, quod interpretes nostri magno con-  
sensu repudiant. Nam cum antiquitas vniuersa illud πνεύμα vel  
de Spiritu sancto interpretaretur vel de diuina Christi natura, non  
profecto mirum videbitur, quosdam pro αιώνασ άγιον substituisse,  
praesertim cum mente obuersabatur Paullinum illud πνεύμα άγιο-  
σύνης Rom. I, 4. Ista quidem interpretatio & difficultas τς αιώνασ  
valde suspectam reddit το άγιον, tamquam interpretandi causā  
subiectum. Estque το αιώνασ consilio Paulli multo magis consenta-  
neum, qui in vniuerso orationis contextu excellentiam sacrificii  
Christi a perpetuitate effectisque, sine sacrificii repetitione, perpe-



tuo futuris commendat. Haec enim autem Paullum illam Christi victimam *αιωνταν* appellasse, nemini consilium et argumentum orationis Paullinae conferenti potest esse obscurum. Etenim in versu 35, nostro statim subiecto, nobis propter illam Christi mortem confirmat spem factam esse sempiterni beneficii obtinendi (*της αιωνισ κληρονομιας*). Cumque v. 24. imbecillitatem expiationis Leuiticae per Pontificem M. factae sic demonstrasset, vt ea quotannis reperi debuerit, hanc sacrificio Christi vim tribuit v. 26. & 28, quod *απαξ*, *semel*, hominum peccata deleuerit, et, repudiata iterum c. X, 4 sqq. taurorum hircorumque vi ad gratiosos Deo reddendos homines, *εφ'απαξ*, *semel* nos dicit oblato Iesu corpore expiatos (v. 10.), & (v. 14.) *una victima eaque omnibus numeris absoluta in perpetuum lustratos* (*μια προσφορα τετελεωκεν εις το διηνεκες της αγιαζομενης*). Qua de causa sanguis Christi in simili loco Ebr. XIII, 20. appellatur *αιμα διαθνης αιωνισ*, quo sanctum fuerit foedus illud aut, si mauis, spes a Deo facta eaque numquam auferenda. Quam rem praeclare ac copiose illustrat Paullus cap. VIII. huius epistolae, vbi v. 6. Christum ait esse *κρεττονος διαθνης μεστρη* h. e. eum qui conciliauerit declarationem Dei excellentiorem illa vetere (v. 7.) qua non nisi Israelitis, si quidem praecepta per Moysen promulgata seruassent, addiderat beatitatem sed terrenam et perituram. Namque hoc nouum foedus *επι κρεττοσιν επαγγελταις νενομοθετηται*, melioribus promissis sanctum est, quae adumbrauerat Deus per Ieremiam c. XXXI, 31 seqq. cuius verba recitat Paullus v. 8 sqq., quaeque duabus maxime rebus cernuntur: *primum* liberaliore diuinae voluntatis cognitione, quae nec ab auctoritate Moysi sacerdotumque humana penderet, nec legem Dei solis in tabulis scriptam illigatamque manibus complecteretur, e qua praeter externam obedientiam nihil existeret, sed cuius consequendae omnes ipsi facultatem haberent tenerentque animo imisque quasi medullis infixam; *tum* certissima spe, fore vt non, quem ad modum sub lege Moisaica repetitis sacrificiis semper fuerat memoria delictorum repetita, ita nunc quoque sint semper hominibus noua supplicia metuenda, sed vt iis  
Deus



Deus semper propitius sit, nec peccatorum delictorumque unquam meminerit. Vtrumque Iesus Christus sua morte parauit, qua & hominum peccata prorsus expiauit, eosque Deo planissime reddidit gratiosos, & ita voluntatem diuinam in Euangelio propositam sanxit, vt nec hominibus praeter Euangelium opus sit noua institutione, nec nouo alio sacrificio, quo eorum peccata deleantur.

Atque ita possemus videri satis fecisse officio, quod confirmatio interpretationis verborum, πνεύματος αιώνης a nobis tentatae postulare videbatur; nisi verendum esset fore, qui particula διὰ ad eam labefactandam abuterentur. Quare istius particulae vim paucis declarabimus. Nempe vt multiplex solet esse particularum significatio, sic Paullus in primis vitur particula διὰ vel ἐν hoc sensu, vt modum explicet quo factum sit aliquid, &, vt in causa praesente maneam, modum quo Christus, se offerendo Patri, nos ei placauerit. Quod vel ea loca demonstrant, quae supra propter similitudinem ad nostrum declarandum adhibebamus. Ingressus est, inquit v. 12. capitis nostri, Christus locum sanctissimum διὰ τῆ ἰδῆς αἱματος, cum sanguine suo, ita vt profusum sanguinem suum offerret; quem ad modum v. 26: διὰ τῆς θυσίας αὐτῆ, ita vt se offerret tamquam victimam. Ebr. XIII, 20: magnus Pastor ouium factus est ἐν αἵματι διαθήκης αἰώνης, eo quod profuderit sanguinem quo foedus perpetuo duraturum sanciretur. Neque, Christus cum Paulo ad Eph. I, 3. dicatur δι' ἑαυτῆ καθαρισμὸν ποιούμενος τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν, id secus potest intelligi quam quod, se ipsum offerendo, siue morti se obiciendo, peccata nostra expiauerit. Ac ita planissime in loco ad Ephes. II, 15. 16: Τὴν ἔχθραν κατήγγισεν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῆ, inimicitiam (Iudaeos inter ac gentes) sustulit interemto corpore suo, ἡμετέρας δύο κτῆ ἐν ἑαυτῇ εἰς ἓνα καινὸν ἄνθρωπον, vt e duabus gentibus conflaret vnum nouum hominem per se ipsum i. e. immolando se ipsum, καὶ ἀποικεταλλάξῃ τῆς ἀμφοτέρων ἐν ἐνὶ σώματι τῷ Θεῷ διὰ τῆς σαρκῆ, et utrasque conciliaret Deo, caeso vno corpore suo, per mortem in cruce susceptam (coll. Coll. I, 22.), ἀποικετῶν τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῇ, dum inimicitiam (Deum inter atque homines) e medio sustulit, se ipsum offerendo. Quare nullo modo dubitamus sic reddere sensum



sum verborum in loco nostro: *Christus ita se innocentem Deo obtulit, ut victimam praeberet perfectam eamque sempiternam* h. e. praestituram salubres effectus sine fine futuros.

Hoc beneficium, quod nobis contigit conciliante domino nostro Iesu Christo, per hos maxime dies, omninoque per vitam vniuersam, sic non modo cogitemus sed eo utamur etiam atque fruamur, quem ad modum nos in hac beneficii magnitudine decet. Ista vero laetissima spes, quam Deus nobis propter hanc perfectam perennemque victimam Christi fecit, ut supra e Dei ipsius declaratione per Ieremiam, quam Paullus sequebatur, adnotauimus, hanc habet vim, ut *primum* cognoscamus Dominum, sitque eius voluntas animis nostris inscripta, *deinde* ut simus persuasi, eum, propter sacrificium Iesu Christi, qui nobis illam Dei beniuolentiam parauit, nobis propitium futurum. Neque seingamus ea, quae Deus coniuncta voluit, quod saepe videmus a multis fieri, qui *vel* omnia sita putant in cognoscendis rebus diuinis vitaeque ad Christi praecepta utrunque componenda, (nam omnino non possumus) *vel*, vitraque re neglecta, valde sibi placent in Christi sanguine vulneribusque quauis occasione iactandis. Quamquam neutrum fieri a Christianis sine maxima impietate potest. Ut enim nihil nobis profuerit pretiosissima victima Iesu Christi, nisi nos amor Christi ita inflammauerit, ut hoc statuamus: si vnus pro nobis omnibus mortuus est, nobis vicissim omnibus peccato pristinisque vitiis moriendum esse neque viuendum nobis sed ei qui pro nobis mortuus est atque ad vitam reuocatus (2 Cor. V, 14. 15.); quod sine reeta, et, quantum eius rei facultas conceditur, optima Christi eiusque doctrinae intelligentia non potest esse (v. 16.): ita meminerimus: etiam si nos Deo obtulerimus tamquam spirituales victimas, eas tamen, ut ait Petrus (epist. I. c. II, 5.), non aliter probari Deo *nisi per Iesum Christum*. Itaque summo studio in cognoscendo, agendo atque etiam fide promissiones Dei propter Christum amplectendo posito eo contendamus, ut, & sanctitatis *constantia* & *consolatione scripturarum*, *spem* habeamus Dei propitii, qua nihil efficacius est ad bene beateque viuendum. P. P. in Acad. Frideric. pridie sollemnitatis Paschalis d. XXV. Martii. A. C. MDCCLXVIII.



Tb 2205

ULB Halle

3

004 716 302




f

R

no











15

IO. AVGVSTI NOESSLT  
INTERPRETATIO, GRAMMATICA  
LOCI PAVLLINI AD EBR. VIII, 14.  
VEL CHRISTVS DICITVR SE DEO  
ΔΙΑ ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ ΑΙΩΝΙΟΥ  
OBTVLISSE.

PROLVSIONOMINE  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE HALENSIS  
IN  
SOLLEMNITATE PASCHALI  
PROPOSITA.

18.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

24